

In diébus illis:

^{27b} Interrogávit apóstolos princeps sacerdotum

²⁸ dicens:

«Nonne præcipiéndò præcépimus vobis,
ne docerétis in nómine isto?

Et ecce replevístis Ierúsalem doctrína vestra
et vultis indúcere super nos
sánguinem hóminis istíus».

²⁹ Respóndens autem Petrus et apóstoli dixerunt:
«Obœdíre opórtet Deo magis quam homínibus.

³⁰ Deus patrum nostrórum suscitávit Iesum,
quem vos interemístis suspendéntes in ligno;

³¹ hunc Deus Ducem et Salvatórem exaltávit déxtera sua
ad dandam pæniténtiam Israel
et remissionem peccatórum.

³² Et nos sumus testes horum verbórum,
et Spíritus Sanctus,
quem dedit Deus obœdiéntibus sibi».

[33-40a]

^{40b} Et apóstolis denuntiavérunt,
ne loqueréntur in nómine Iesu,
et dimiserunt eos.

⁴¹ Et illi quidem ibant gaudéntes a conspéctu concílii,
quóniam digni hábiti sunt
pro nómine contuméliam pati.

Verbum Dómini.